

10. *C. Armstrongii* Miq. n. sp. Folia petiolo longo prorsus inermi suffulta; rachis semicylindrica antice plana; foliola utrinque usque fere 70 patentia linearia subspinoso-acuta plana margine laevi cincta, infima non valde abbreviata, 2 suprema opposita erecto-divergentia. — *C. media* R. Br. forma inermis m. in *Linnaea*, XIX, p. 412. *Prodr. Syst. Cycad.* p. 7 et 17.

Folium totum in hac specie apice ob sinum apertum inter suprema foliola divaricata vacuum racheos processulo interiecto singularem adspectum praese fert; in *C. media* foliola suprema ita conferte ordinata, ut apex laminae circumscriptione sit rotundatus. Petiolus supra basin tumidam et hirsutulam 3—3½ lin. crassus, pede longior, subtetragono-cylindricus; rachis antice plana, lineam medianam prominente percursa; foliola infima 3½ poll. longa, 2 lin. parum latiora; mediae frondis 2¼—2½ lin. lata, 5½ poll. longa; suprema 2½ poll. longa; omnia subrigidula, glabra, subtus stomatifera, utrinque lucidula, costaque utrinque prominente, supra transverse striulata (ex diachymate). — Genitalia incognita.

In *Novâ Hollandiâ boreali* ad portum Essington legit Armstrong n. 380 herb. Hookeri. — An in *Novâ Caledoniâ*? (cf. Observ. II).

*Observatio I.* Inter species huius sectionis haec sola petiolo inermi instructa, nec tamen quemadmodum forma inermis *C. revolutae* ad aliam speciem tanquam mera forma referri posse videtur. Foliolis enim ab omnibus mihi cognitis et ab ipsâ *C. media* nimis differt. An ad eandem referenda sit *Cycas petiolis inermibus* quam Gaudichaud in insulâ Rawak legit, ex ipsis speciminibus quae mihi haud suppetunt, ultra eruendum. (Cf. Freycinet *Voy., Botanique.* p. 331).

*Observatio II.* In horto Kewensi colitur *Cycas* e *Novâ Caledoniâ*, juvenilis, petiolis etiam inermibus, cuius folium misit Hookerus. An eadem sit ac *C. Armstrongii* non nisi ex adultioribus exemplaribus diiudicari poterit; haud improbabile tamen videtur; frons nostra cum petiolo vix pedalis; petiolus subtrigono-vel semitereti-cylindricus, deorsum antice obiter sulcatus, prorsus inermis; foliola utrinque 7, anguste lanceolata, basi attenuatâ decurrenti-inserta, apice attenuato parum spinulosa, coriacea, supra atro viridia costâ concolore prominente, subtus pallidiora viridula costâ e flavido expallidâ planiusculâ, 5½ poll. longa, ½ medio lata. — Si non huius loci, certe species distincta habenda.